





172.5
3

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
IO. GOTHOFREDVS
DE BERGER

CONSILIARIVS AVLICVS ET
ARCHIATER REGIVS ORDINIS MEDICI
PROFESSOR PRIMARIVS AC TOTIVS
ACADEMIAE SENIOR

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D



Cum alia multa in sanctiore illa disciplina, qua de Deo rebusque diuinis exponitur, capita continentur ac insunt, quae omnem hominis captum longissime transcendunt, ac superant, tum illud praecipue, quo *Deum manifestum esse in carne* commemoratur. Tria olim ueteres maxime grandia, et reliquis etiam praeferranda mysteria statuebant, de *tribus nempe personis in una eademque essentia diuina*, de *Incarnatione filii et resurrectione mortuorum*, parum autem abest, quin his in ipsis principem *ἢ ἰσοακῶσι* Filii Dei locum assignemus. Ecquis enim nostrum, si maxime omnem mentis humanae aciem intendat, uel mediocriter assequatur & capiat, quod Deus aeternus factus est aliquot horarum infans, reclinatus in cunis, iamque finitum, contra omnes naturae leges, capit infinitum, et, quod mens nostra miratur perpetuo ac stupet, *πᾶν πληρωματῆς θεότητος*, omnis, idemque inexplicabilis, maiestatis diuinae ac gloriae apparatus in debili quodam hominis corpusculo inest, et habitat? Hic utique exclamandum est cum Apostolo: *ὦ βάθος, diuinae cum sapientiae, tum bonitatis, ac potentiae*, quae factum est, ut, quae alioqui non minus a se inuicem, quam coelum a terra, distant, Deus scilicet et homo, in una eademque Christi, liberatoris, persona, aeterno quodam, et indissolubili uinculo copulata extent, non alium in finem, quam, ut homo per peccatum a Deo auulsus, si Christo inseratur per fidem, cum eodem reduniatur. Iacent nunc Persae Mithram: Iacent Athenienses Eleusinia sacra: Iacent alii superstitionum suarum arcania: Vilia sunt, absurdum, et inania, ne nomine quidem mysteriorum digna, si cum hoc comparentur. *Est enim omnium confessione ingens mysterium, Deus est manifestatus in carne*, 1. Tim. III, 17. Negabant olim Chaldaei, *Deos cum hominibus habitare* Dan. II, 11. quod scilicet ignorabant miseri, Deum *ὀπίπερισσῶς* facere posse super omnia, quae cogitamus et fingimus. Veriora nobis persuaferit Ioannes, scribens: *Verbum caro factum est, et habitauit in nobis, et uidimus gloriam eius, gloriam uelut unigeniti a Patre, plenam gratiae ac ueritatis*, Io. I, 17. Negabat quondam Nestorius, Mariam *θεοτόκον* uocari posse, quod Deus ab homine nasci nequeat, nec cupere sese bimestrem, aut trimestrem Deum. At, cum Lucas doceat, Mariam Bethleemi peperisse filium suum *τὸν πρωτότοκον*, Angelus autem laetum illud nuntium allaturus dicat:
eun-

eundem illum Mariae *παρθέτου* esse Christum, Dominum et Seruatore[m] totius generis humani, natum in ciuitate Dauid, num hoc nimium fuerit, dixisse: *Deum ex uirgine natum esse?* Verum igitur, ac procul omni dubitatione credendum est, Mariam non merum, aut purum hominem, sed ipsum Dei filium, peperisse.

Proh! quam hoc ipsum generi humano est *honorificum*, imo *gloriosum*! Mirantur historiae, quod Ahasuerus, potentissimus monarcha, non dubitavit Hadassam, tenuis fortunae uirginem, in thorum asciscere. Vix capere olim David poterat magnitudinem honoris, quum intelligeret, se Regem sibi generum destinasse. Iactabant se hoc nomine, ac efferebant, Israelitae Iudaei, quod regem haberent sibi propinquum, quippe sua e tribu oriundum. At, quanti honoris est, quod Deus naturam hominis suam in hypostasin assumpsit, quod nos haeredes regni coelorum scripsit, quod nos ipsos fratrum nomine compellare non dubitat, quod, denique, tremendae maiestatis ac infinitae gloriae Deus cum tenui contemptoque filio hominis tam arcte coaluit, ut una sit filii Dei, et filii hominis, persona, et filius hominis omnis gloriae et maiestatis diuinae per *gratiam* sit compos, quae alioqui propria est filio Dei per *naturam*. Hoc sane ipsum tanti non modo miraculi, sed et honoris res est, ut nunc demum mali genii, totos se de gradu deiectos, et longe infra hominem positos esse, intelligant, qui alioqui ad ipsam maiestatis diuinae sedem, prae ambitionis magnitudine, aspirabant. Nolim quidem cum iis e ueteribus facere, qui homines primos a Diabolo propterea seducendo perditos esse arbitrantur, quia iis praeuisum a se *ἐνανθρῶπι- πόντος* honorem inuiderint: sequeretur enim, Diabolos arcana Dei consilia de permittendo generis humani lapsu, eiusdemque reparatione per filium, inspicere potuisse, quod ipsum ab eorundem conditione alienum puto. Interim certum est, nullam rem Diabolum diutius dubium habuisse, quam, quod, in gratiam generis humani, non dubitauit Deus contemptum hominis filium in consortium SS. Trinitatis allegere, gloriaeque uere infinitae profususque immensae compotem facere? At quid ego ista commemoro, cum Dauid ipse diuini Numinis bonitatem et gratiam hic satis admirari non possit, quum ait: *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quod inuisis illum? Fecisti eum paulisper inferiorem angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, Ps. VIII, 5, Ebr. II, 7, 8.* Utque adeo natura nostra non solum a Numine in gratiam, sed et

filiū Dei personam recepta, et ipsius maiestatis diuinæ societatem admittā est?

Neque uero tantum honori cedere debuit arctissima isthaec Dei, hominisque, in Christo Liberatore, coniunctio, sed etiam salutis. Nam quod de Fabio quondam Cunctatore Poeta, id, cum leui quadam uerborum immutatione, sed potiori iure, de Christo dicemus: *Vnus homo nobis nascendo, moriendo, restituit rem. Vnus enim est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit se ipsum in pretium redemptionis nostrae pro omnibus, 1. Tim. II, 5.* Nos enim peccando perdidimus nos ipsos, et prouocaueramus iram Dei: premebamur omnes reatu mortis, et aeternae damnationis: spes recuperandae gratiae ac salutis per angelos, hominesue, nulla erat. *At, quod impossibile erat legi, siquidem infirmabatur per carnem, hoc fecit Deus, mittendo in carnem filium, Rom. VIII, 3.* Hic sese a beatissima aeterni Patris sede ad imum humanae miseriae puluerem demisit: pauper factus, quo nos ditaret. Hic ad terram descendit, quo nobis recluderet coelum. Noctu uoluit nasci, quo diem nobis perpetuum pareret. Sordidis sese fasciis inuolui passus est, quo nobis ornamenta gratiae, deliciasque coelestes acquireret. Hic esuriendo nostram comedendi, sitiendo potandi, libidinem expiauit: sudauit et alsit, quo nobis liceret esse perpetuo felicibus, ac beatis. Commouit, perturbauitque se ipsum, ut quiesceremus: Lacrymas emisit, ut laetaremur. Mortuus est, ut uiueremus aeternum. O grandia, et omnium admiratione dignissima beneficia, quae tamen omnia ex incarnatione, uelut ex fonte riuī, propullulant.

Quae ut minime ignorabat Satanās, sic nullo non tempore, quam potuit enixissime, id egit, ut hunc articulum, quibus modo posset erroribus contaminaret, de reliquis facile se triumphaturum sperans, dummodo in hanc doctrinae Christianae arcem irrumpere posset. Bene LEO, Romanus, nomine, meritisque magnus: *Neminem, inquit, pene deuiasse cognoscimus, nisi qui duarum in Christo naturarum ueritatem sub unius personae confessione non credidit. Alii etenim Domino solam humanitatem, alii solam adscripsere Deitatem. Alii ueram quidem in ipso diuinitatem: sed carnem dixerunt fuisse simulatam. Alii professi sunt, ueram eum suscepisse carnem, sed Dei patris non habuisse naturam. -- Alii cognoscentes Patris et Filii nullam esse distantiam, quia non poterant unitatem Deitatis intelligere, nisi in unitate personae, eundem asseuerant esse Patrem, quem filium. --* *Quidam*

dam pulauerunt, Dominum Iesum Christum non nostrae substantiae corpus habuisse, sed ab elementis superioribus ac subtilioribus sumptum. Quidam autem aestimauerunt, in carne Christi humanam animam non habitasse, nec fuisse; sed partes animae ipsam Verbi impleisse Deitatem etc. Decem igitur, et amplius, errores, eosque capitales, Satanas iamdum in unum hunc articulum inuehere est conatus. Quidam enim, Deum fuisse hominem factum, simpliciter negabant, ut *Samosatenus*, et *Photinus* olim, hodie *Socinistae*. Alii, specietenus euasisse hominem, crediderunt, ut quondam *Δουναί*, *Valentiniani*, *Manichaei*, et similes. Nonnulli, cum unam in Deo ut essentiam, sic personam, statuerent, uel Trinitatem totam, uel certe Patrem, hominem esse factum putarunt, ut *Patripassiani*. Quidam, solum quidem Filium incarnatum fuisse crediderunt, sic tamen, ut simul, eundem non modo persona, sed et natura, distinctum esse a Patre, somniarent, ut *Ariani*. Alii, Filium Dei carnem suam non in utero Virginis assumpsisse, sed e coelo secum attulisse, in eaque per Virginem, quasi per canalem, uenisse in mundum, delirabant, ut olim *Apelles*, hodie *Anabaptistae*, et *Schwenckfeldiani*, et alii. Nonnulli duas in Christo naturas, diuinam et humanam, antequam intime coniungerentur in persona Christi, a se inuicem distinctas, post coniunctionem uero, uel unam ab altera absorptam, uel e duabus tertiam conflatam fuisse, cum *Eutycho*, statuebant. Alii uerbo quidem, Deum et hominem unum esse Christum largiebantur, reapse negabant, quod duas naturas *διημενως ἐχέσας, καὶ ἀνορονίτες πρὸς αὐτὰς παντάπασιν* contendebant, ut *Nestoriani*. Quidam, humanitatem Christi mutilaturi, duas in eo uoluntates fuisse negabant, λόγον autem carni pro anima fuisse, somniabant, ut *Monotheletae*. Quidam denique subtilius erraturi, fingentes quandam inter *ἔν καὶ ψυχῆ* distinctionem, hanc Christi carni relinquebant, illum negabant, ut *Apollinaristae*.

Sat bene multi, sat crassi etiam, hoc uno in capite, errores: quos tamen hodie non modo pluribus, sed et atrocioribus, augeri uideas ab iis, qui sub specie pietatis doctrinam corrumpunt, ac summa imis miscent. Hi enim hypocritae nec gratiam Dei satis amplam, nec charitatem nostram numeris omnibus absolutam sibi uisi sunt docere posse, nisi utramque ad Diabolos etiam extenderent, et ni horum quoque naturam a filio Dei, horrendum dictu assumptam et redemptam esse, cum Peterfenio, huiusque pullis, putarent. Neglectus initio est error, et pro ridiculo habitus, contemptu potius, quam calamo, uindiciandus. Nunc tam lon-

ge lateque serpsit, eundoque acquisiuit vires, ut uix uscatis remediis uel corrigendus, uel reprimendus, esse uideatur. Hoc ipso enim uertente anno in Francis prodiit libellus, *Ewiges Evangelium* oder die Lehre von dem 1000 jährigen und ewigen Reiche Christi etc. in LXXV. Lehr- Sätzen heraus gegeben von Io. Dav. Schäfern. His in positionibus numero LVII, p. 113. sic statuit, die gefallenen Engel sind auch durch Christum erlöset worden: numero autem LVIII, p. 114, Christus hat auch die Englische Natur angenommen. De priore iam suo loco dispeximus, et alias plura, cum Deo, dicturi sumus. Posteriorem quin h. l. paucis examinemus, per instituti rationem non licet. Est autem non solum noua et hucdum nostris in Ecclesiis inaudita, sed et sacris literis manifeste contraria. *Ὁυ γὰρ δή τις ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται*, *Nuspiam angelos assumpsit, sed semen Abrahae assumpsit*, Ebr. II, 16. Qui uel unus locus toti controuerſiae decidendae suffecerit. Nuspiam assumere dicitur, quia nuspiam in Scripturis, uel assumpturus fuisse, uel assumpsisse, dicitur. Nam quod nonnulli cum Braunio, et aliis Reformatis *ὁ τὸ δή τις* idem esse uolunt h. l. quod *utique sane*, frigidum est, cum recepta interpretatio per *nuspiam*, procul dubio et frequentior, et huic loco accommodatior sit. Nihil etiam nos turbat, quod idem *Braunius*, *Riberae*, *Cameronis*, *Grotii*, aliorumque *Socinizantium* autoritatem secutus, *τὸ ἐπιλαμβάνεται* de manumissione, uel liberatione, et opitulatione, non uero carnis assumptione, accipiendum esse contendit. Primo enim hoc uerbum proprie idem esse, quod apprehendo aliquid assumere, inter Socinistas, Osterodus ipse fatetur. *Chrysostomus*, *Theophylactus*, *Oecumenius*, Graeci omnes, quique uim uocis ignorare non potuerunt, *metaphoram subesse dicunt, petitam ab iis, qui persequuntur auersos, et omnia faciunt, ut fugientes apprehendant, et resistentes teneant*. Filius ergo Dei fugientem humanam naturam, et longius ab se abeuntem insectatus, tandem consecutus apprehendisse, et secum unisse dicitur, ut *VULGARIVS* loquitur. Vnde adeo recte *B. Gerhardus* ad h. l. obseruat, quod uox haec significet, *firmiter apprehendere, non dimittere, non deponere, retinere*. Sic enim assumpsit carnem filius Dei, ut nunquam eam deposuerit, uel deponere uelit. Patrocinatur uero etiam interpretationi nostrae contextus. Ut enim antea *συναδελφίαν*, ita nunc *κοινωνίαν καὶ μετοχὴν τῆς σαρκός*, qua de v. 13. dixerat, e Scripturis probare studet Apostolus. Cumque v. 14 et 15 iam tum de *opitulatione et liberatione* populi sui, tanquam *μετοχῆς τῆς σαρκός* scopo et fine, idque plane ac perspicue dixerit, quid opus fuisset c. 16 de eadem

eadem illa opitulatione, et obscuriore formula edisserere? Finge, hoc dici ab Apostolo, quia semen Abrahamae liberat, et uindicat a Diabolo et metu mortis, tum sane nec illa *μίσχρη τῆς σαρκός*, quae probanda erat, sed idem per idem probabitur, nec obscure dictum illustrabitur, sed perspicue dictum obscurabitur. Quid multa? opitulationi et liberationi non conuenit denominatio *seminis Abrahamae*. Quid enim? Num soli Abrahamae posteritati succurrere, num solos credentes in libertatem asserere Christus uoluit? Id quidem Braunius, Wittichius, alique Reformati, ex hoc loco exculpere gestiunt, sed repugnante Scriptura, quae non solum Abrahamae semen, sed totam Adami posteritatem a Christo uindictam docet. Io. I, 29. Matth. XIX, 11. Luc. XIX, 10. 2. Cor. V, 14. 1. Tim. II, 6. Ebr. II, 9. Luc. II, 10. 11. Hoc igitur docet Apostolus, nullibi extare in sacris literis, e quibus tamen solis tanto de mysterio exponere debemus, quod Filius Dei angelos, uel angelorum naturam, assumpserit, sed potius id solum legi, quod *semen Abrahamae*, i. e. *gente Abrahamae indiuiduum*, assumpserit, secumque intime copulauerit.

Neque uero non hoc pluribus, iisque textus e uisceribus petitis argumentis probari potest. Primo enim: 1) *ad quorum neminem dixit: Tu es filius meus, uel etiam, sede a dextris meis, horum naturam Christus non assumpsit.* Vtrumque enim dictum est a Patre ad Iesum, Mariae filium, Matth. III, et Ebr. I, 1. quod in *ὁπίσθα* Filii Dei assumptus erat. Atqui ad neminem Angelorum sic dixit. E. 2) *Quicumque non sunt cum sanctificante ex uno sanguine, ii nec sunt a Filio Dei assumpti*, quoniam, qui sanctificat, et qui sanctificantur, sunt *ἐξ ἑνός*, (sc. *αἱματός* Act. XVII, 26.) *πνεύματος*. Atqui Angeli, uel Diaboli non sunt ex eodem sanguine cum Christo. E. 3) *Quos Christus erubescit uocare fratres, eorum non assumpsit naturam*; Ideo enim, quod nostram assumpsit naturam, nos non erubescit uocare fratres; sed Angelos erubescit uocare. E. 4) *Cuius naturae non dantur pueri, eam Filius Dei non assumpsit.* Quemadmodum enim pueri carnem et sanguinem habent: sic Christus participauit iisdem. Atqui naturae angelicae non dantur pueri. E. 5) *Quae non habent carnem et sanguinem, eorum carnis et sanguinis Christus non uiréx.* Atqui Diaboli. E. 6) *Quoscumque participando carnem et sanguinem studet uatarynōai, eos non assumpsit.* Participauit enim, non ut destrueret, sed ut uindicaret, v. 15. Atqui Diabolus. E. Denique urgemus claram literam, *nusquam Angelos assumpsit*, ergo nec Diabolos. Diaboli enim quoque sunt Angeli: sed *semen Abrahamae assumpsit*, cui quidem palam contradicere a furioso magis, uel deliro, quam Christiano, expectes.

At,

At, inquit, aduersarius, nomine Pastor ouium, reuera lupus. Wenn Christus auch nicht die Englische Natur angenommen hätte, so hätte er auch nicht einmahl die Menschliche wahrhaftig und vollständig angenommen: sintemahl es ja mit der Englischen Natur, wie jedermann weiß, keine andere Bewandniß, als mit der menschlichen auch, wenn nehmlich diese der Seelen nach betrachtet wird, nur, daß bey deren Verbindung mit den Leibe etwas besonders sich findet. Dahero gleichwie Christus in der angenommenen menschlichen Natur die Menschen, also hat er auch, weil er eben auch in solcher die Englische zugleich nicht anders als annehmen können, die Engel können erlösen, und ist nicht nöthig gewesen, zu deren Erlösung ihre Natur erst absonderlich, ohne die menschliche, anzunehmen. Nimirum ex fanatici mente in homine, et cum homine, angelus etiam assumptus est, et redemptus, quod hominis angelique natura nil differunt. Hominis enim animam esse spiritum: angelum etiam esse spiritum. Numne uero hominis naturam nihil amplius constituit quam anima? Ita quidem aduersario, forsan ex Platone persuasum est. Verum hoc ipso non solum fontem erroris aperit, sed et Scripturæ denuo contradicit. Haec enim inter angelos et homines perpetuo distinguit, quod *Spiritus carnem et ossa non habent, ut homo* Luc. XXIV, 39. Quin et inter angelos et spiritus, seu animas hominum separatas, distinguit Act. XXIII, 8. Cumque aduersarius ipse per unionem cum corpore animas ab angelis discerni fateatur, qua nunc ueri specie in natura hominum, etiam angelorum assumptam esse contendit?

Sed mitto putidissimum errorem, infelicitatis temporum nostrorum indubitatum testem. Gratulor potius generi humano, nobisque cumprimis, quod, cum angelorum natura multis rationibus præstaret præ nostra, Dei tamen filius non angelorum, sed nostram, aeterno secum uinculo copulare dignatus est. *Hodie enim nobis, nobis, inquam, non angelis, natus est Seruator, qui est Christus, Dominus in ciuitate Dauid.* Age igitur, *Gloria sit in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus bona uoluntas!* Respondeamus, CIVES, honori honoribus, deuotaque pietate exigemus diem, *quem fecit Dominus. Laetemur, et exulemus in ea,* memoriamque nati Seruatoris festo, pioque ritu, ita celebremus, ut confluentes simul ad aram, pro laeto, quod afferunt Ministri Dei, nuntio, etiam numos aliquot in ea deponendo, gratam mentem significemus.

P. P.

IPSIS NATALITIIS SERVATORIS

A. R. G. CIO ID CCXXV

LITERIS SCHROEDERIANIS

Wittenberg, Dics., 1725




f
SB

30 SW.

W 18
W 18 kat 12





172.5
3

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
IO. GOTHOFREDVS

DE BERG
CONSILIAR
ARCHIATER REC
PROFESSOR PR
ACADEM

CIVIBVS

